



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Confessio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

ipitur pro concubitu fornicario, vel illicito, & non licito, quia secundum mentem iuris, concubina non dicitur, nisi quæ tenetur per modum vxoris, vt in c. si quis. d. 23. vbi dicitur, qui habuit concubinam post vxorem, ordinari non potest.

² **CONCVBINARIVS**, vel concubina nolens abijcere alterum vel alteram, si est periculum recidui, non debet absolui, quia non est verè contritus, quia verà penitentia non est sine remotione causarum peccandi. c. satisfactio. de pæ. d. 3. Si verò tale periculum ad arbitrium sacerdotis non est, tamè factum est notorium, vel violenta suspitio, propter scandalum non potest absolui, nisi abijciat, licet, sit contritus de peccato. de pœna clerici concubinarij supra Clericus §. 13.

³ **CONCVBINAE** afficiuntur de foro ecclesiastico, secundum Felin. in ca. si concubina. de sententia excommunicata quod ecclesia potest eas excommunicare.

⁴ **ADEVNTES** meretrices, ignorantes esset peccatum, an mortaliter peccet? Peccant quidem mortaliter, nec excusantur, quia ignorantia iuris naturalis, & diuini in tali casu manifeste, ne minem excusat. l. q. 1. per totum. Sine enim maxima negligentia, nullus potest hoc ignorare.

⁵ **QVILIBET** clericus etiam constitutus in minoribus concubinarijs publicis, pro vt supra clericus §. 13. declaratum est, secundum Arc. §. hæc de malis. 32. d. exercendo actum cuiuscunque ordinis sit irregularis, & solus Papa dispensat. de re iud. c. 1. li. 6. Et idem de fornicario quocunque, scilicet notorio, secundum Inn. quod not. Arc. in §. ad hæc. d. 32. quomodo intelligatur notorietas, supra, Clericus. §. 13. in frâ, notorium. Concubinatus secundum leges civiles crimen non est. ff. de concub. in concubinato.

CONCVSSIO

CONCVSSIONIS crimen committitur, cum quis in officio constitutus extorquet aliquid à subditis

metum, aut cum non vult facere quod tenetur, nisi data pecunia, aut quando extorquet ultra constituta sibi stipendia, aut cum quis accusat, vel ab accusando desistit propter pecuniam vel aliquid æquiuales, vt colligitur. l. q. 1. c. confessionis. & c. iubemus, & est peccatum mortale in re notabili, quia contra iustitiam, secum. Tho. secunda secunda. q. 59. a. 4. & accipiens restituere tenetur danti, nisi turpiter dedit. l. q. 3. nec sanè. sed si turpiter dedit, restituitur illi, in cuius iniuriam est datum vel pauperi, iuxta ecclesiam arbitrium, vt in d. e. nec sanè. hoc tamen in foro conscientie secundum glossam Ray. magis est de consilio. Vide infra Restitut. §. 17. Et etiam mortale peccatum in re notabili, quia contra iustitiam. Facit c. militare. 23. q. 1. & Thom. secunda secunda. quaest. 59. a. 4.

CONFESSIO.

¹ **CONFESSIO** iudicialis, secundum Pa. in c. ex parte. de confess. præiudicat confitenti, si sit maior. 25. annis, & fiat sponte, & ex certa scientia, & expressa causa, & coram suo iudice & presente parte: & non sit contra naturam nec contra ius, & fiat de re litigiosa, & non sit contra libertatem, aliàs non præiudicat, secundum Pan. in d. c. ex parte.

² **CONFESSIO** deliberata reuocari non potest, secundum Felin. in c. venerabilis. de excep. col. 2. circa pri. Confessio verò geminata non potest reuocari prætextu errorum: & geminata dicitur deliberata. ca. si quis reatus. 2. quaest. 3.

³ **CONFESSIO** facta in tormentis non valet. l. 1. §. diuus. ff. de quaest. & ibi Bar. dicit quod leuis terrore non quilibet facit confessionem videri factam formidine pœnæ, vel tormentorum, sed debet esse positus in tormentis, vel directus ad ea. Item si erat in carcere in quo multum fame, & frigore cruciatur. Item si fiat calore iracundiæ non præiudicat, nisi per se. ueres. c. ex literis. de diuor. multa alia dicit Pan. in d. c. ex parte.

4 P O S T confessionem factā in tormentis, reducitur reus in locum publicum iudicij, & ibi coram personis publicis, & notario confitetur, per tex. in l. 2. C. de custo. reo non autem sic est de confessione facta extra tormenta.

5 O fficiales, qui non præcedentibus iudicijs sufficientibus personas ponunt ad torturam, secundū Lud. Ro. sunt homicida, & tenentur ad restitutionem omnium dānorum, cū propter cōfessionem factam vi tormentorum suspenduntur, & huiusmodi, & talis confessio sine iudicijs nō valet, in d. l. etiam si iudicia post questionem habitā superueniant, confessionem non confirmant, vt vult glo. in l. Marunus. ff. eo. ti. Ita tenet Bald. in cap. ad nostram. in fi. de proba.

6 C O N F E S S I O facta metu torque- di filium non nocet, secundum Fel. in c. afferre. de præsumt. & Bald. vbi supra in d. c. ad nostrā quod licet reus perseueret negādo, dummodō cōtra eum sit plene probatum per testes, debet condemnari.

7 C O N F E S S I O non appellat. cap. Romanus. §. cūm autē. de appellat. in 6. & lata sententia statim punitur. de alijs conditionibus, vide Tab. ibi. §. 6.

8 S I iudex procedit per inquisitionē ex mero officio suo, tenetur reus respondere veritatem sub peccato mortali, si factū est notorium, vel infamia flagrat, vel semiplene probatum est, secundum Thom. secunda secunda. quæst. 69. a. 1. & Panor. in c. cum super. de confes. Vide Caie. secunda secunda. supra & in verbo, accusatio. §. 2. d. Et hoc verū est quando agitur ad pœnam spirituale, de qua in frā, Pœna. §. 2. non ad aliam. Si verō factum nō est notorium, nec flagrat infamia, non tenetur respondere. de accusati. cap. qualiter & quando. el. 1. etiam si dicere veritate n iurasset, secundum Henr. de Gan. quol. 1. q. 34. nec in hoc prælato debet obediri, quia contra charitatem est, & occulta non sunt publicanda, sed Deo relinquenda. ea. si omnia. 6. quæst. 1. non

tamen mendacium debet dici, sed veritas occultari, & c.

9 C O N S O C I V S criminis nō est testis idoneus regulariter contra sociū, vt nota. gloss. in l. si filium. C. de liber. causa. potest tamen interrogari, vt per dictum eius veritas inueniri possit ab alijs. Vide Pa. de confes. c. 1.

10 S I petatur aliquid quod est falsum ratione qualitatis, vt si petatur an occideris Titium in ecclesia, potest negari, quia licet occideris, non tamen in ecclesia: sed si est falsum ratione quantitatis, vt si petitur centū, & non debes nisi. 50. debes confiteri. 50. secundum Panor. cap. 1. de plus peti. quia qui petit totum, petit & partem.

11 S I petitur aliquid quod est verum sub conditione, & absolute petitur, debet negati simpliciter, secundum Panor. in ca. 1. de postula. prælato. vt si quis interfecit hominem defendendo se, non debet confiteri se interfecisse hominem, quia non posset probare hoc fecisse pro defensione.

12 D V O testes singulares, vel tres confitentes contra tertium. non possunt coniungi ad faciendum sufficiens iudicium, nisi vnus eorum sit omni exceptione maior, qui solus faceret, & multo minus ad faciendam plenam probationem. patet per Antho. in cap. licet. de testi. Vide infra, Testis. §. 8.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

CONFESSIO sacramentalis secundū Rayner, est legitima corā sacerdote peccatorum declaratio, & est pars sacramenti pœnitentiæ, cuius materia sunt actus pœnitentis, & peccata de quibus dolet mortalia, secundum Thom. 3. q. 84. a. 2. & secundum ipsam Thom. & alios Theologos, virtute clauium ex attrito sit contritus, ideo in confessione attritio saltem est necessaria, & secundum Tho. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 4. q. 1. vltima. Debet confessio. 16. confessiones habere, ad hoc quod sit perfecta, quæ in his verbis continentur. Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis, Atque frequens

quens, nuda, discreta, libens, verecunda, Integra, secreta, lacrymabilis, ac celerata, Fortis, & accusans, & sit parere parata. Has condiciones declarat S. Thom. in. 4. sent. suprâ, & Caiet. in summa ibi, idèd hos sequar.

² PRIMA conditio est quod sit simplex, id est, sine mixtione historiârû, & aliorum impertinentium. Quando tamen isti idiotæ, & præcipue mulieres dicunt aliqua impertinentia, cum intentione meliùs declarandi peccatum, non vitiant confessionem, secundam Arch. Flor. 3. parte. tit. 14. ca. 18. in 10. conditione, idèd prudens confessor, huiusmodi studiat refecare nugas.

³ SECUNDA humilis, quò scilicèt ad actum interiorem recognoscendo se peccatorem, & quò ad actum exteriorum, cum verbis humilibus, non iactando se, & cætera. Flexis genibus, licèt hoc non sit necessarium, tamen est congruû, si potest fieri, nisi ob infirmitatem, & huiusmodi.

⁴ TERTIA pura, id est, cù bona intentione ad Deum facta, vt ecclesiæ obediat, & Deum placare possit, quoniam si quis confiteretur propter infamiam populi fugiendam, vel vt deuotus tantùm appareret, & hoc esset principaliter iurèdum, mortaliter peccaret, quia ibi videtur finem ponere, quando aliter, hoc cessante, non confiteretur. Secus quando ad confessionem mouetur, propter hoc tamen principalis finis est propter Deum, & remissionem peccatorum suorum, & vt Dei gratiam allequatur.

⁵ QUARTA fidelis, id est vera: nam si quis cõfiteudo peccata sua, ex industria vtatur tali eloquẽtia, vel talibus verbis, vt peccata sua non ponderentur à confessorẽ, vel ei non displiceãt, peccat. Mentiri etiam in confessione de pertinentibus ad ipsam confessionem, est mortale, quia est mendacium in iurèdico, non qualicumque, sed sacramentali. Et hoc dico mẽtiri non solum de mortalibus, sed etiam de venialibus, quando confitens assumit illa venialia, vt materiam confessio-

nis, idèd tenetur facere illum confessionis actum veracem. Si autem non intendit de venialibus confiteri, vel de hoc veniali, non peccat mortaliter, idèd negans in confessione aliquod veniale propter verecundiam, non intendens tunc de eo confiteri, licèt à principio hoc intenderet, non peccat mortaliter. Similiter de impertinentibus ad confessionem meritiens, non agit mortaliter. Qui verò negat, vel tacet quod credit, vel dubitat mortale, mortaliter peccat. Idèd dubia pro dubijs, & certa pro certis dicenda sunt in confessione, ita vt neque quis propter humilitatem debet se accusare de eo quod non fecit, vt dicit Augu. 22. q. 2. ca. cum humilitatis causa.

⁶ QUINTA, frequens, de frequentia cõfessionis nõ inuenitur præceptum, nisi semel in anno, in c. omnis. de pœnit. & remis. neque de peccato semel ritè confesso, quis tenetur amplius confiteri, etiam ex præcepto Papæ, secundum Petrum de Palu. quia est, quoddã sacramentale, diuino & non humano subiacens imperio. Sunt tamen aliqui casus, in quibus reconfiteri oportet, de quibus infra dicemus: & aliqui in quibus oportet statim confiteri. Primus, quando quis vult communionem accipere, vel celebrare, secundũ communionem opinio-nem, suprâ communiõ. §. 1. Secundus, quando quis est in mortis periculo notabili, in quo frequenter moriuntur homines, vt est grauis infirmitas, ingressus ad conflictum belli, procella matris, & huiusmodi, secundum Pet. de Pal. 4. sent. Tertius, quando conscientia hoc dicitur, quia omne quod est contra conscientiam, ædificat ad gehennam. 18. q. 1. §. ex his. Quartus, quando credit quod pro illo anno non poterit habere copiam confessoris, quia vbi periculum imminet, tollenda est mora. c. baptizari. distin. 5. de hoc vide aliquid suprâ, Absolutio §. duodecimo, & decimotertio.

⁷ RECONFITERI totiens peccatã per

h 5 ge-

generales confessiones quandoq; bonum est, vt facilius pœna peccatorũ remittatur: quandoque malum est, quando propter hoc conscientia efficiuntur scrupulosa, & inquietæ: idè illis confulerem, vt quando semel, vel bis, benè confessi sunt cum idoneo sacerdote, & non fuerunt ficti, quod nõ amplius reiterent, quoniam sic conscientia nimis tumida sunt. Sunt tamen aliqui casus, in quibus necessarium est confessio iteranda, de quibus secundum Thomam & Petr. de Palud. in. 4. & Caietanum in summa, dicendum est.

¶ PRIMVS casus reconfitendi ex parte confitentis est, quando non habuit contritionem, nec attritionem de peccatis, vt quia nõ displicuit peccatum præteritum, vel non proposuit de futuro abstinere, quia hæc non est confessio, sed magis confessionis simulatio, & est per se contra formam sacramenti. Si autem dolet de præterito, cum proposito cauendi à futuro, licet dolor esset imperfectus, ita vt neque esset attritus, propter hoc non esset iteranda, quia si hoc esset, nunquã posset sciri an homo sit verè cõfessus, ita quò non indigeat reiterare confessionem, quia nemo scit si fuit contritus, vel saltem attritus, secundum Caieta. ibi.

¶ SECVNDVS, est ex parte confessionis, quando non fuit integra, quia confitens omisit scienter, vel ex verecundia, vel aliter, aliquid mortale, vel quòd credebatur mortale, vel circumstantiam necessariam, ex negligentia recordandi nimis crassa, quòd nec etiam muliercula faciunt, vel quia noluit dicere: tunc enim dicitur fictus, & confessio est reiteranda, secundum Thom. supra, & Caietan. ibi. Si tamen eundem adiree, qui adhuc peccatorum suorum memoriam haberet, vel saltem pœnitentiæ impositæ, secundum Petr. de Pal. & Bona sufficeret dicere in generali: Pater dico meam culpam de his, quæ vobis dixi, &c. postque explicare peccatum occultum, dicendo quomodo fuit fictus illud ce-

lando, &c. & nõ. sec. Seco. quod homo tenetur exhibere tantam diligentiam in recordatione peccatorum suorum, quantum poneret in re ardua, quæ multum sibi esset cordi.

¶ TERTIVS casus est, quando non impleuit pœnitentiã taxatam à confessore pro mortalibus ex contemptu vel notabili negligentia, & illius est oblitus, tunc tenetur reiterare confessionem, secundum communem opinionem doctorum, Caietan. autem in summa, ibi dicit ex satisfactionis defectu nullum scio casum, quo ritè cõfessus, & absolutus, teneatur reiterare confessionem. Nam si in mortali satisfactionem impositam fecit, nõ propterea tenetur reiterare, quoniam sine pœnitentiã sunt dona Dei. Roma. 11. nam si non satisfacit Deo, satisfacit ecclesiæ. Si sit oblitus pœnitentiæ, non etiam propter hoc tenetur reiterare, quia sine pœnitentiã sunt dona Dei: tum quia potest commutari pœnitentiã, existimando quòd satisfactio oblita non excedat tria psalteria, vel mille aureos: tum quia omittens peccat quidem peccato omissionis, & in reatum temporalis pœnæ perseuerat. Ex nullo autem horum sequitur, quòd teneatur reiterare confessionem, sed quòd debeat pœnitentiã delicti agere, & satisfacere, soluendo illam pœnam, vel æquivalentem: & hæc opinio verior videtur, alia autem securior.

¶ QUARTVS casus est ex inhabilitate verò confitentis ad susceptionem sacramenti propter censuras ecclesiasticas, quia scilicet tenetur maiori, vel minori excommunicatione passiuã sacramentorum separari, non taliter quòd sacramentum nullam scit, quoniam sicut cetera sacramenta ab excommunicatis suscipiuntur, ita & pœnitentiæ sacramentum: sed intelligitur, quòd excluditur à sacramentis, ad hunc sensum: quia si sumit, ad indicium suum sumit, & sacrilegus efficitur, & quia excommunicatio non annullat sacramentum pœnitentiæ, secundum

eundem Caietanum, ibi, in summa, etiam quod quis fuerit prius absolutus à peccatis, quam ab excommunicatione, confessio non propter hoc est iteranda, sicut matrimonium, & extrema unctio, ab excommunicatione suscepta. Alij autem communiter dicunt, quod penitentia est nulla, ideo iteranda, supra, Absolutio, §. quinto.

12 QUARTUS casus est ex parte confessoris, vel quia non est sacerdos, vel quia non habet iurisdictionem ordinariam, nec delegatam, vel quia non habet usum propter excommunicationem maiorem, vel suspensionem. Tunc quia non potest absoluere, confessio facta tali esset iteranda, intellige tamen de excommunicato denunciato, ut supra Absolutio, §. 30. Nota quod si confessor non potuit absoluere ab omnibus, licet absoluerit, quando constiterit confesso, poterit alteri iterando confessionem tantum de illis, de quibus ille non potuit absoluere, reconferri, & absolui, sicut quando ad Episcopum mittitur. Ex defectu scientiæ, quando sacerdos est ita ignorans, quod de omnibus peccatis nescit discernere inter mortale, & veniale, vel nescit dicere formam absolutionis, vel non intellexit quid dixerit, & confitens nesciuit ipsam instruere, & scienter vadit ad illum potens alium idoneum adire, tenetur iterare confessionem. Quanta autem debeat esse eius scientia, dicemus infra. Ex parte etiam voluntatis, si fingit se absoluere, & non absoluit, aut quia tunc non erat mentis compos, aut noluit absoluere, vel erat semidormiens, in his omnibus est iteranda confessio. Memento de his, quæ supra diximus, quando reconferretur eidem quod sufficit confessio in generali.

13 Si quis habet multos casus reservatos, & vadit ad superiorem, & absoluitur ab omnibus, & postmodum recollatur de quibusdam alijs reservatis, si vadit ad sacerdotem, poterit absolui, etiam de illis reservatis, sequen-

dum Petr. de Palu. quando intentio Episcopi fuit absoluere ab omnibus sibi reservatis, & non tantum explicatis coram eo tunc.

14 RECIDIVANTES non tenentur reiterare confessionem, secundum Th. 4. senten. d. 12. q. 1. nisi forte per accidens, ut scilicet confessor aliquod remedium, vel penitentiam confitenti adhibeat. Ingratitudo enim, ut est generalis circumstantia, non est de necessitate confitenda.

15 SEXTA conditio, debet esse nuda, ut non inuoluatur verborum obscuritate, sed sic loquatur confitens, ut sacerdos intelligat, quia in confessione latens morbus debet apparere, secundum Angu. & etiam dicat peccatorum circumstantias necessarias, de quibus supra, Circumstantia per totum, ut eius conscientia bene munderetur.

16 SEPTIMA conditio, debet esse discreta, id est prudenter facta, ut verbis honestis explicentur peccata, & circumstantiæ, & maxime in peccato carnis: & quantum ad modum narrandi, ne confessorem turbo afficiat: ideo prius in seipso meditetur peccata, & bene computet. Sit etiam discretus in eligendo bonum confessorem, & confessor in examinando, & præcipue puellas, &c.

17 OCTAVA conditio, libens, id est, voluntaria, non timore pœnæ, vel infamiae, &c. Et accedens ad confessionem debet habere voluntatem bene dicendi omnia peccata sua, etiam quod non interrogaretur, aliter mortaliter peccaret, & si confessor omnia interrogaret, & confiteretur de omnibus, tamen non fuisset confessus nisi interrogasset, tenetur in fine confessionis confiteri suam fictionem, quia si ad accessit, & debet dicere: Pater veniunt tali animo deliberato, non dicendi peccatum hoc, nisi interrogaret, &c. Nihilominus debet confessor interrogare, ut in c. 1. de pœni. distin. 6. de his, quæ ex seipso confitens non dicit, & de his, quæ perpendit illum velle occultare, discretè de eius

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

ore etnere. Et quando scit, vel probabiliter credit illum non recolere peccata quadam, debet ad memoriam reducere, vel conscientiam de eis illi facere, alioquin indignum scienter absolueret, secundum Pet. de Palud. Et ille qui ad interrogata tantum respondet, paratus tamen dicere peccata sua, si non interrogatur, sed rogatur interrogari, ut melius confiteatur, satisfacit, quia non tenetur nisi vel ore proprio, vel signo affirmare, vel negare. Et dicit Tho. 4. sen. d. 17. quod quis tenetur confiteri peccatum etiam si est manifestum confessori, quia non est notum in forma iudicij.

¹⁸ Si confessor sciat aliquem habere peccatum mortale, de quo consistens non facit sibi conscientiam, & consequenter non confitetur, secundum Goffred. debet ei facere conscientiam, nec eum absolvere, sed reputare indignum: quod si res dubia est, & opiniones doctorum sunt variae, an sit mortale tale peccatum, si confessor est ordinarius, ipsam admonitum prius, tamen in sua opinione persistentem, debet absolvere. Si vero non est ordinarius, & tenet firmiter esse mortale, non debet absolvere, quia ex mera voluntate dependet eius absolutio, sed ad alium remittat.

¹⁹ Si confessor scit, vel probabili conjectura videt consistentem deficere in sua confessione, adeo quod confessio non sit perfecta, sed diminuta, vel ficta, tenetur interrogare, vel instruere consistentem, secundum Pe. de Palud. supra, & Tho. 4. sen. d. 17. q. 2. a. 2. q. 1. ubi ponit rationem, quia ordo singulorum ad invicem est, ut unusquisque alteri auxilium praebeat ad bonum suum consequendum, &c. Unicuique enim Deus de proximo mandavit, sicque mortaliter videtur peccare, negligendo procurare salutem proximi scienter in necessarijs ad confessionem. infra, Interrogatio. §. 1.

²⁰ Si confessor audiat aliquem dicentem peccasse cum altero, confessor

non poterit alterum interrogare de hoc peccato in speciali, sed in generali tantum, secundum Arc. Flo. 3. par. tit. 1. c. 18. in conditione. §. 13.

²¹ Non a conditio, quod sit verecunda apud ipsum penitentem, quia ut dicit Philosophus, peccatum omne est erubescibile. Pudor enim magna pars est penitentiae. c. 1. de pen. dist. 6.

²² Decima conditio, quod sit integra, quantum ad mortalia certa, & dubia, alias rite non confessi, & eorum circumstantias necessarias, ut supra, Circumstantia per totum, alias est confessionis simulatio. Et est per se non integra, quando voluntarie dividitur, & non valet, sed sacrilegij vitium committitur. Si vero dividatur tantum materialiter, ut propter oblivionem, vel propter casus reservados, non restat quin sit integra formaliter. Si autem quis dicat peccata sua vni, tamen taceat aliquid non ex verecundia, sed quia timet aliquod grave malum vel sibi, vel alteri, ut quia confessor sollicitabit illam per sonam ad malum, vel huiusmodi, & non habet alium idoneum, non peccat mortaliter, nec dicitur dividere confessionem ex intentione, sed ratio nabiliter ad hoc cogitur. Si autem dividatur indirecte non dicendo omnia, quia noluit cogitare, & paruitate discutere conscientiam notabiliter, & propter hoc aliquod peccatum relinquit, quod non dicit, dicitur mortaliter peccare, & dividere confessionem indirecte, quia non fecit id, ad quod tenebatur. Qui autem habet aliqua reservata, dicat omnia sacerdoti, qui absolvet a quibus poterit, postmodum adeat superiorem, cui dicet tantum reservata, & ipse absolvet: quae quidem absolutio est sacramentalis: & sic habet usus ecclesiae.

²³ Unde decima conditio est, quod sit secreta, propter hoc excluditur interpret, nuntius, scriptura, quibus nemo tenetur confiteri de necessitate, secundum Caieta. ibi. Quando tamen alius modus confitendi non est, potest homo si vult hoc modo confiteri, quia

quia plus ab homine non exigitur quam possit. Neq; publicè debet confessio fieri, sed secretè, ne ab alijs audiat, & pœnitentia secretè iniungenda est. Et grauius peccat stans ad audiendum confessionem alterius & si casu audiuit, tenetur tenere secretum. Quomodo autem debet celari, infra Confessor. §. 5.

²⁴ Vnus sacerdos non debet plures simul audire, nec plures sacerdotes vnum simul, quia videtur esse contra cap. omnis. de pœ. & remis. licet Ric. dicat in casu necessitatis hoc licere. Sco. tamen. 4. senten. dist. 16. contrarium tenet, dicens confessionem pluribus factam, non esse sacramentalem. Tho. etiam in. 4. senten. dist. 16. in expositione literæ dicit, quod quando peccatum est publicum, quis potest publicè confiteri, aliàs non licet, quia talis confessio præiudicat proximo, qui scandalizari posset, nec debet dicere pœnitentiam iniunctam, quia ex hoc posset sequi infamia, malevolentia, vel aliud malum sibi, vel cōfessori: secundum Ric. his autem cessantibus, potest confessus dicere pœnitentiam: secundum Per. l. Pal.

²⁵ VO DECIMA cōditio est, quod sit lachrimabilis, hoc est, cum displicentia omnium peccatorum mortaliū commissorum. supra omne odibile, & cum proposito vitandi omne mortale supra omne euitabile, saltem cum attentione, quia virtute clauium ex attrito sit contritus: vt dicit Doct. & sic dicitur lachrimabilis. An autem propter incontinentiam sit iteranda, dictum est supra, in quinta conditione.

²⁶ TERTIA DECIMA cōditio est, quod accelerata sit. Non inuenitur autem præceptum de acceleratione, nisi tantum semel in anno, præter casus necessitatis, de quibus supra disimus. in conditione. 1.

²⁷ DECIMA QVARTA cōditio est quod sit fortis, id est, superans timorem mundanum, & verecundiam, ne propter huiusmodi dimittat aliquod peccatum, vel circumstantiam de ne-

cessitate confitenda: aliter non esset sufficiens.

²⁸ DECIMA QVINTA cōditio, accusans, id est, sibi imputans non celo, vel alteri, quia voluntas hominis non potest cogi, licet possit persuaderi. Et non debet alterius crimen in confessione manifestare. An peccatum, vel circumstantia, per quam venit in cognitio nem peccati alterius, sint confitenda, supra, Circumstantia. §. u.

²⁹ DECIMA SEXTA cōditio, & sic patere parata. Confitens debet esse paratus satisfacere pro peccatis suis, si non satisfecit ante cōfessionem. Si autem sit ita male dispositus, quod nullam velit acceptare pœnitentiam in hoc mundo, neque saltem vnum Pater noster, sed vult in alia vita satisfacere, talis est etiam absoluendus, ne desperatus in infernum ruat, à quo parum distare videtur. Est tamen paratus satisfacere per satisfactionem purgatorij: secundum Sco. & Caieta. ibi, in summa. Iste enim defectus non annullat hoc sacramentum, quod non erit omnino perfectum, secundum suæ materiae partes integrales, quia sacramenta omnia, ad presentem vitam spectant, in qua satisfactio valde manca esset: sed quia essentialia huius sacramenti saluantur, ideo nō annullatur. Caietan. supra. Si autem accepit pœnitentiam, tenetur adimplere si est rationalis, & discreta, quod si ex contemptu non perfecit, mortaliter peccat infra, Satisfactio. §. 1. & secundum Caieta: supra, nisi per alium confessorem fuisset mutata. Tenetur etiam adimplere ea, ad quæ teneri confessor declarat, vt concubinam dimittere, & huiusmodi. Similiter si imponit ei aliquid ne relabatur in peccatum, vt quod non vadat ad talem locum vel huiusmodi, tenetur obedire: quia hoc est occasio peccati illi, quam vitare debet. ex Caietan. ibi. Non est etiam melius, dare vnum Pater noster pro pœnitentia, & post vnum Psalterium ad suum placitum, dicat, vt quidam dicunt, sed melius est dare pœnitentiam rationabilem, & honestam

uestam pro peccatis, quam ex obedientia confessoris expleat, quia ex vi sacramenti est magis meritoria. infra. Satisfactio. §. 4.

3^o SECUNDVS confessor secundum Monal. mutare potest penitentiam iunctam à primo confessore, dummodo casus pro quo fuit data non sit reseruatius superiori, & superior non sibi reseruauerit penitentiam mutationem. Secus quando reseruauit, vel crime erat reseruatium, quia tunc non potest nisi necessitate urgente, vel utilitas suadeat, in quibus casibus pium est interpretari, quod superior licentiam dederit, & requiritur confessio peccatorum, pro quibus talis penitentia fuit taxata: secundum Rainesium quia non debet fieri hoc nisi estimata causa: secus secus secundum Caietan. vbi supra.

3¹ CONFESSIO sacramentalis, & vocalis, cum sit de iure diuino: secundum Theologos, & præcipue Thom. 4. sentent. distinctio. 4. & distinctio. 17. est ita necessaria, quod existens in mortali, non potest etiam à Papa dispensari, quin confiteatur, quia hoc pertinet ad Christum, qui est sacramentorum institutor. Posset tamè dispensare: vt ultra annum differret, quia hoc de iure positio est in dict. capitul. omnis.

3² NULLVS tenetur etiam in articulo mortis confiteri laico, sed tantum sacerdoti, qui solus potest absolueret, non autem is, qui non est sacerdos, licet possit audire, & cum proprio sacerdote fienda est confessio regulariter. in dict. capit. omnis. vel cum alio de eius licentia, sed quia hodie sunt multi religiosi, qui habent authoritatem audiendi, & absoluendi, ideo non me extendo ultra ad declarandum, quis sit proprius sacerdos. vide supra, absolutio §. 10. vsque 22.

3³ IN multis casibus potest quis confiteri, & absolui alteri, quam proprio sacerdoti, vt quando transfert quis domicilium vsquequò inueniat, quando est vagabundus, quando deliquit in aliena parochia, pro quo delicto est ex

communicatus, absolutio spectat ad alium parochianum, etiam propter studium: vt scholares, & in casu necessitatis, quando non adest proprius sacerdos. supra, Absolutio. §. 18. vide diffusus.

3⁴ PROPRIVS sacerdos subditum suum ubique, siue in territorio suo, siue extra audire potest: secundum Host, quia penitentia est de iurisdictione voluntaria, & de loco nihil exprimitur. in dict. capitul. omnis. sed Cardi. in clementin. dudum. de sepul. dicit esse veram de prelato ordinario, siue perpetuo, siue temporali, quia in his, quæ sunt sine strepitu iudicij, nullius territorium læditur. argument. de offic. leg. cap. ultimo. Secus de confessore extraordinario: vt sunt mendicantes.

3⁵ PROTERIUS sacerdos requisitus de licentia confitendi cum altero, non debet esse difficilis in dando licentiam: secundum Tho. in 4. sent. supra, dummodò non sit in danum petentis, vel aliorum. Potest etiam negare si vult, quia hoc est ex honestate, & quandoque bonum est negare, ne detur peccandi occasio.

3⁶ SACERDOS parochialis, secundum Tho. in quol. tenetur credere penitentii communionem, si dicat se alteri confessum quantum ad forum animæ, non autem quantum ad forum iudiciale: vt si erat excommunicatus, non debet communicare, nisi probet se absolutum, & hoc verum, quando iam delictum est deductum ad iudicium: si autem sit secretum, credendum est ei, quia tunc non est in præiudicium tertij, & sic intellige de excommunicatione, quæ peruenit ad forum iudiciale. Si intelligunt Ioan. And. Pa. & alij. in ca. sicut. super glo. 1. de sent. excom.

3⁷ DICENS se habere licentiam confitendi alteri à suo prelato, ei esse credendum: secundum Ric. nisi per signa probabilia constaret de opposito. supra, Absolutio. §. 20.

3⁸ QUANDO subditus tenetur confiteri, proprius sacerdos tenetur audire: secundum Ric. in 4. sen. Si autem au

dire

dire noluerit tunc, vel quando noluerit pluries confiteri, & non direxerit subditum ad determinatum sacerdotem, potest confiteri cui vult. Videtur enim tacite licentiam dare pro illa vice, & ille sacerdos poterit eum absolueri à quibus poterat proprius sacerdos, qui vicarios non habet, sed si habet vicarios, tamen à non reservatis poterit absolueri. *suprà*, Absolutio. §. 27.

Fratres prædicatores quid possunt circa confessionem. *suprà*, Absolutio. §. 21. vsque 27. Casus. §. 7.

39 CONFESSIONES factæ cū excommunicato occulto, & tolerato, valent, nec superueniente scientia sunt iteranda, quia licet non haberet iurisdictionem veram, habebat tamē tolerantiam. Qui verò ignoranter cum intrusis confitetur, vel huiusmodi, qui nunquā habuerunt institutionem à superiore, superueniente scientia, tenentur recōfiteri. Ex Pan. in ca. nihil de elect. *suprà*, Absolutio §. 30.

An liceat confiteri eū suspenso. *suprà*, Absolutio. §. 31. & multa alia habes ibi ad confessionem spectantia, ideo diligenter vide ibi.

CONFESSOR.

CONFESSOR debet habere quinque conditiones: scilicet, potestatem, scientiam, prudentiam, bonitatem, & sigillum. Debet habere potestatem ordinis, quia non sacerdos non potest absolueri à peccatis, etiā in mortis articulo. Secundò potestatem iurisdictionis ordinariam, vel delegatam. Tertio potestatem quò ad vsum, quia excommunicatus, suspensus, & huiusmodi, & si habent potestatem, nõ tamen habent vsum talis potestatis. Ex defectu enim huius potestatis (sicut dictum est *suprà*) confessio redditur invalida, & mortaliter peccat sacerdos audiens confessionem sine huiusmodi potestate, & tenetur si commodè, & sine scandalo potest confessum auisare, vel pro eo absoluendo licentiã impetrare, & cautè absolueri.

2 SECVNDO, scientia confessoris sancta esse debet: secundum Thom. 4.

distinction. 17. in litera: vt sciat distinguere inter peccatum & non peccatum, inter mortale & veniale, & si in aliquo esset dubitatio, sciat dubitare, & ad peritos recursum habere. Debet etiam scire circumstantias peccatoris, vt si excommunicatus, si tenetur restitutioni, si vult perseverare in peccato, si habet casus reservados, si est ei subditus, & si hæc nescit, nescire eum à mortali excusare, nisi penitens eius ignorantiam suppleret: secundum Alb. in 4. tenetur saltem scire in comuni, quæ sunt peccata capitalia, & mortalia communia, & quæ venialia ex genere: & nesciens ista, mortaliter peccat audiendo confessiones: & similiter ille, qui eum instituit scienter, plus peccat. Secundum Bona. debet scire ad quæ extendit sua auctoritas: & ratio omnium est, quia quilibet debet scire ea, quæ ad suum officium spectant, aliter se offerens peccat peccato presumptionis, & plus peccant qui se offerunt, quam qui coguntur: secundum Caie. ibi, debet scire circumstantias peccatoris, & peccati, siue latine, siue vulgariter, vt si est excommunicatus, &c. vt *suprà*. facit can. qui vult. de pen. distinct. 6. debet etiam scire an ea, quæ penitens exprimit, sint licita, vel neve de bello, de vsuris, & contractibus, de matrimonio, & in quibus casibus confessio est iteranda, & de excommunicationibus. Credo quòd qui vidit libellum, qui dicitur, Defecerunt. Archid. Floren. & illum habet in practica, sit sufficiens ad audiendum confessiones.

3 TERTIO, debet esse prudens, penitentem instruendo, interrogando, hortando, animando ad spem, & castobrie inuestigando, ne scriptum in temptationem præcipitet, & penitentem doceat peccata, quæ ignorat. præcipue circa materiam venereorum. Vnde habita vltima specie peccati, non vltra procedat, verbis etiam honestis interroget. Sufficit enim vt intelligat quando de tot vicibus interrogat, videat ne fastidium generet nimis subtiliter calculado, sed sufficit vt grosso modo,